

CHRISTIANI FUNCCI,  
*Aug. Gymn. Gorl. Reet. ac Direct.*  
 STUDIO SAM <sup>ad</sup> JUVENTUTEM  
**ALLOQUIUM**  
 BIPARTITUM,

*cujus*  
**PARTE PRIORI**, quibus discentium, ut ne **NISSUM**  
 lavandi animo post bac amplius intret,  
 severius monetur,

**PARTE POSTERIORI** inopinus in **NSSI** undis  
 Commilitus decessus acerbius defletur, insuperq; B. DEFUN-  
 CTI LAUS, in Opt. Parentum Solarium ac Testimo-  
 nii loco, affertur,

tumultuariâ operâ scriptum, & inter non paucos  
 gemitus Anno clo loc XCIV. postrid. Cal. Augusti  
 in Docentium æqvè ac Discentium  
 omnium Coronâ dictum:  
 posteaquam

D. XXVII. JULII CIRCA HOR. POMERID. V.

in **NISSUM** refrigerandi caussâ paulò altius se-  
 immersens, spiraculò vitæ non tam undis quam vorticis  
 arenis præcluso, subito extinctus esset


**NOBILISS. ET EXIMIUS JUVENIS,**  
**JOH. BALTHASAR BERENDSIUS,**

*Osterburgo - Paleo - Marchicus,*

primogenitus Magnorum Parentum Filius,  
 Ætatis Annum XII X. nondum egressus.

---

**GORLICII LUSATORUM**  
 TYPIS ZIPPERIANIS.



CHRISTIANI EINDCI  
BONI ET BEATI QVI QD  
STUDIOSAM HABENTIEM  
**A L L O O A I M**  
RIBA RIA  
MOSSE  
PRAE PASTORALIA  
CUM  
TITULIS  
INSTITUTIS  
S. ILLIUS  
MISSUM  
NOMEN  
JOH. BALTHASAR BERENDSII  
GOTICII LITERATORIUM  
TYPIS ZEPERIANIS



*NON HERCLE VERBIS, MEA PUBES, DICI POTEST  
TANTUM: QVAM RE IPSA IN AMNI LAVARE  
INCOMMODUM EST.*



Ate mihi, *Viri Clarissimi, Collegæ Conjunctissimi*, veniam! Venia Mihi, Vos potissimum compellant, date *Juvenes*: ut, post falsissimas illas lacrymas, præteritâ Septimanâ, Septimanâ Scholæ nostræ verè fatali, ob audita, ob visa SUPREMA Nobilissimi & Eximii *Juvenis, JOH. BALTHSARIS BERENDISII, Oster-*  
*burgo-Palæo-Marchici*, Nobilissimis Optumisq; Parentibus nati ac sati Filii, strenuè olim in his Musarum Nissiacarum Castris sub Apollinis vexillo militantis Militis, in Amnis nostri profundis non tam aquis quam arenis suffocati juvenis, FATA largiter effusas, totô me propè flente & fluente, flentibus ac fluentibus propè totis aliis, quorum oculos non ita è pumice, quorum præcordia non ita è chalybe formata ac firmata cernere dabatur, repetitos inter planetus & gemitus, Vetus illud Comici, pro re miserè natu ac data, meum & penè tragicum faciam! Date & Mihi, miris ac misericordis Gymnasii nostri Fatis ingemiscenti, veniam: ut cuilibet Vestrū ex eodem Theatro quasi ~~ταρπωδος~~ acclamem:

*O fortunate: nescis quid mali  
Præterieris: qui nunquam heic NISSUM ingressus es!*

Nimirum fortunatus, (ita me DEUS amet!) fortunatus est: quisquis nunquam in præterlabente, imo & Urbem nostram alluente, Amne, in Nissō nostrō lavit, natavit, luxuriavit, h. e. qui nunquam ibi locorum fuit: ubi, ut cum Poëta loquar,

*tam propè quis letum, quam propè cernit aquam.*

O quam verè Chorus ille Tragicus Tragici Poëtæ, puri ac gravis Tragedi in Latio, cultu ac nitore vel ipso Græcorum Euripide majoris, (SENECAM puto) quondam cecinit:

*Audax nimium qui freta primus  
Rate tam fragili perfida rupit,*

*A 2*

*Terras.*

*Terrasque suas post terga videns,  
ANIMAM levibus credidit auris,  
Dubioque secans æquora cursu  
Potuit tenui fidere ligno,  
Inter VITÆ MORTISQUE vias  
Nimium gracili limite ducto.*

Est, est profectò audax ille, robur ei & æs triplex circa pectus est: fragili qvi se committit in aquis ligno. Ohe verò quanto audacior est: qvi homo adolescens ab humo, communi Matre, avulsus, in umbris ipse Scholæ quoque eductus & educatus, periculi securusne, dicam, an ignarus? planè nullô lignô, aut rate subductâ, corpus, illam animæ immortalis thecam, amni perfido, amni periculo, amni totidem spoliis hominum, juniorum cumprimis, infami, & quem PLAGIARIUM quendam dixerim, se committere audet? Et quidni foret audacissimus foret & improvidissimus: qvi amni se committit: de quô voces in Circulis Nostratium jaçari cœperunt jampridem: NISSUM quotannis homine non uno, quasi particulari quadam victimâ, placari oportere. Auditis talia, & de hoc genere alia, auribus vestris

*imberbes Juvenes, faciles, custode remoto,  
in vitium qui estis flecti, monitoribus aspri:*

& non illicò Monstrum σαρκοφάγον detestamini, tricipiti id Cane pejus, pejus & ipsum Angve Lernæo, devitaturi? O Mei, ne ita estote temerarii: ne ita improvidi æqvè ac vitæ salutisque vestræ prodigi estote: ne ita securi, quô pedes vestri vos ferant, estote, ultrò etiam, & vestro quasi jumentô, damna arcessituri Vobis Rebusque vestrī! Nostis aliorum edocti exemplis, exemplô potissimum nuperrimô edocti nostis illud auctoritate quidem vetus, sed usu novum dicterium:

*Qui amat periculum, periculō peribit.*

Quid ergo? Nonne is periculum amare dicitur: qvi famam, totidem heic & alibi locorum obviis exemplis infamem, negligit: qvi tot spirantia Magistrorum monita tanti facit,

— *quanti rupes Marpesia Cauros:*

qui surdo sibi narrari patitur fabulam: etiam si cantet eam Phemius?

*Nil juvat, ad surdas si cantet Phemius aures.*

Neque enim verum est: quod nasutuli nonnulli, nasum rhinocerotis vel ipsi habentes, è nuperrima interque ipsas Ferias Cereales Scholæ nostræ

stræ funesta lavatione protervius objicere haud verentur: *lavationes, quas  
vocant frigidas, seorsim in Scholâ non fuisse prohibitæ.* Mi Juvenis, aut  
etiam tute, qvisqvis es ex eorum, qui foris sint, numero: cur tam fini-  
stre de rebus merè contingentibus judicas: cur eorum, quæ apud Nos  
in Schola geruntur, adeò negligens es, aut fastidiosus? Scitote, Me,  
qvem Disciplinæ cura propriùs tangit & angit, non modo qvotannis, in Fe-  
riarum cumprimis Cerealiū denunciationibus, lavationes in Nisso tentan-  
das gravissimis verbis per omnes Classem prohibere; verum etiam haut ita  
pridem severissimè, adductis rationibus & exemplis, prohibuisse: adeò  
nempe ut *πιστοκανδύνοις* istis ac projectæ temeritatis balneatoribus, sive infi-  
marum, sive mediarum Classem, Classem sive & ipsius Superioris forent  
Cives, rigidorem animadversionem ac castigationem in territionem  
destinarem. Qvanquam verò vel unius illius Spectaculi nuperrimi, qvod  
ipsi oculis nostris usurpavimus, dritis sufficere jam possit, quæ feroci-  
los posthac adolescentes compescat: ne tamen & sic officio meo deesse  
videar, placet jarnunc, dum.

— *siccas insana Canicula messes*  
*Urit adhuc, nec non patula pecus omne sub ulmo est,*

Sententiam hanc publicare: NE QVIS NISSO IN FIDEM PERFI-  
DO SE COMMITTAT, AUT NATATIONES TEMERE EXPE-  
RIATUR. Repeto latam à Me auctoritate Superiorum iisdem verbis  
Sententiam: *Ne quis Nisso in fidem perfido se committat, aut natationes teme-  
rè experiatur.* In confessò namque est apud omnes & cives & incolas Ur-  
bis nostræ, NISSUM tot voraginosis undarum gurgitibus, tot infidiosis are-  
narum vorticibus in aquæ fluentis medio, non semel qvoq; ad ipsam, qvam  
secura alias ipsa sit, & minus periculo exposita, ripam infestum esse: ut vix  
Delius aliquis natator exinde emergere valeat. Accedit: qvòd non ra-  
rò, poris in homine natante cuticularibusq; istis meatibus, calore Solis  
aut motu nimiō laxatis luxatisq;, subitum & circumfusum ab aqua fri-  
gus sese insinuare, ac corpus spasmò vel rigore ita distinere possit: ut  
in locis, alioquin etiam non adeò periculosis, id ipsum evertatur, eversum  
invertatur, inversum extinguatur, extinctum è profundò tollatur, sub-  
latum tandem ex undis in apertam auram ejiciatur. Cacodæmones præte-  
reà, infensissimi juratissimiq; hominum, Piorum cumprimis, hostes aquis  
se imiscere nonrarò solent, colludentes ipsi ac colluctantes non absq; insolito in undis profundioribus strepitu. Sunt, sunt: qui, propè & ad Nissum  
ipsum habitantes, spectra non semel ac lemures nocturnos diurnosq;  
(NYMPHARUM Latinis, sed Germ. apud rudem plebeculam der *Wasser-  
Riesen* nomine veniunt) manifestò à se spectatos esse referant. Ne di-  
cam: qvòd, qui, bono auxiliante DEO, adminiculantibus & bonis homi-  
nibus, ex aquis aliquando, & heic, & alibi, erepti, serio affirmare haut  
dubitârint, plus negotii sibi à NYMPHIS illis, h.e. à malis Spiritibus, qvam  
ab aquarum vorticibus, in lucta ista madida facestum. Atque hæc  
omnia, pluraq; talia alia, qvoniam ejusmodi sunt: ut audientes in horro-  
rem conjiciant, spectantibus panicum qvendam terrorem incutiant, re-  
cordantibus metum perpetuum ingenerent: Vos, Vos Juvenes, animi poti-  
us qvam corporis oculis tam funesta Gorlici nostri fata, Fatum præ cæteris

nuperum, intuemini, ac providi estote! Estote & in id intuentes pii, rectissimè lavationes istas Nissiacas, si curæ cordiq; Vobis vestra est vita, vestra est salus, salus nempe cùm corporis tum animæ si curæ cordiqve; Vobis, posthac cauturi.

## FELIX, QVEM FACIUNT ALIENA PERICULA CAUTUM.

Sed hæc hactenus Vobis, *Juvenes*, Vobis & *providis*, ut ne lotionibus in Amne nostro frigidis adsuescatis, & *improvidis* Vobis, ut iisdem ob totidem Urbi data damna tandem defuescatis, dixi. Dicam paucis deinceps de acerbissimo, beatissimo tamen, BERENDISII nostri ex hâc misericordiarum valle, decessu dicam, an discessu? superiori Septimanâ, Septimanâ post Festum Trinitatis Septimâ, circa Vesperam, unô & alterô spectante commilite, in Amne nostro, proh dolor! infelicissimo inopinatò qui contigit. Verumenimvero conclusit, conclusit, eheu! in Undis Nissiacis, ut brevem vitæ suæ cursum, ita os, qvô loqueretur; ita oculos, qvibus spectaret; ita aures, qvibus audiret; ita nares, qvibus odoraret ipse longius; ita omnem denique tangendi facultatem, non tædio forte aliquo vitæ, sed irrevocabili Fatô, Fato tamen non Stoico, sed Christiano, ad finem vitæ decurrens Nobilissimus Politissimusque Juvenis, JOH. BALTHASAR BERENDSIUS, fortis ipse fortibus, bonus bonis parentibus creatus, natus, satus, datus. O durum & dirum, ô inevitabile Fatum! O Casum Tragicum, quem in Concilio suo æterno, in tempore, hoc quidem Anno, hoc Mense, hac Hebdomadâ, hac Die, hac Horâ, quâ Nissum lavandi animo ingredere tur juventis, futurum, permettere decreverat Sapientissimus DEUS, ejus tamen præscientiâ nullam fatalem rei huic contingentî necessitatem inferente! Nimirum, quum dudum pransus, ac mox cœnaturus, circa Vesperam cum commilitibus qvibusdam ad Nissi ripas exspatiatus ille esset, æstus vero Solis diem paulisper decurrentem incendisset, ad Amnem ipse velociter perveniens, primùm non totum lavandi corpus, sed pedes tantum refrigerandi animo, eidem se immersit. Mox, ubi frigidam vel semel affectasset, nemine jubente, sed, quoniam ita, ut permitteretur, erat in Fatis, permittente DEO deproperans, gaudiumque non vulgare gaudens, omnibus exutis vestimentis, ipse intrare cœpit Amnem, inque eodem progressus XIV. ulnas profundæ voragini vorticique valde arenoso approximat. Sed pedes, eheu! approximanti subducebat arena, abstrahebatque hominem, bis emergentem ac clara hac voce, **Ach Jesu helfset mir!** **Ach Jesu helfsmir/helfsmir!** clamantem, in maximam malam crucem. Ita ergo, spiramento non tam aquis quam arenis intercluso, periit optimus, interiit piissimus Juvenis in ipso ætatis flore, annum vitæ suæ XIIII. nondum egressus. Periit, ah periit & interiit. Musis gnavissimus Cultor, periit certissimum Nobilissimis parentibus Gaudium, periit splendidissimum Patriæ Ornamentum, periit Columen inclutæ Familiae firmissimum: Spes nobis, & Expectatio melioris atque melioris frugis non dubia, per-ah-periit, interiit! Sed quid periisse Juvenem dico: quid dico eundem interiisse? Non enim perire, non interire potest: qui benè vixit, qui benè mortuus, in Domino qui mortuus: quo cunqve

cunqve mortis, mortis sive naturalis sive violentæ, fiat genere. Vixit omnino Noster-Vester, Vester Commilito, Noster in Castris his Niſſ. Miles, bene ac piè. Integer ipſe, quantum qvidem per lubricitatem juvenilis ætatis perqve & sodalitatis varietatem fieri licuit, scelerisqve purus vixit, non egens, qvum in vita eſſet, Mauri jaculis nec arcu: utut ſuos interdum & ipſe pateretur manes. Cumprimis autem, qvod ſalva teſtari poſſum fide, multos veræ fidei fructus affidua Bibliorum lectione, attenta Verbi divini auscultatione ac meditatione, laudanda piorum, in Vernaculâ noſtra qvæ fieret, Rhythmorum compositione, edi- dit, probans fidem idem ille ſuam aliis atqve aliis pietatis, cum DEO tum proximo debitæ, exercitiæ, adeoqve nihil prætermittens: qvod pium, bonum, probum, modeſtum, gnatum, obſeqviosum dece- ret diſcipulum. Qvî ergo periiffet, qvî interiiffet Juvenis, DEUM in oculis, JESUM in corde gerens, verâ nuper pœnitentiâ præmissâ, benedicto Corpore & benedicto Sangvine exſatiatus? Perire qvî potuiffet, inter- ire qvi potuiffet violentâ in undis morte: qvi longè antè piis cogitationibus, piis fermonationibus ſe præparaverat ad mortē: qvi Textum ſuum hunc funebrem, Seelig ſind die Todten/ die in dem HERRN sterben/ ic. ex Apocal. XIV. v. 13. ſibi mature elegerat: devotas qvi non paucas Can- tiones ſcriperat, Bibliisqve ſuis inſeruerat: qvi morti latus occurrerat, eandemqve, ulnis qvafī amplexaturus, Amnem intraverat: qvi Tragicum ſuum ex hac vita diſceſſum, animo præſagiente, piis præcinuerat Rhythmis? Erant hi, instar Cygnæ alicujus cantionis, adſtrictis iſtis concepti ac ſcripti Verbiſ:

Die Freyheit gleichet einem Galle,

Den das Verhängniß schlägt.

Sch bin ein schwaches Rohr/ durch Furcht und Angst bewegt:

Ein hohes Haus/ das ſeinem Galle

Am aller nächften ist:

Ein Schiff/ mit Kummer ausgerüst.

Das Unglücks-Barn wil mich umſchließen:

Wie ſolten nicht die trüben Augen flüssen?

Ehr nassen Zeugen meiner Noth/

Geweint mein hartes Ungelücke!

Der edlen Freyheit lezte Blicke

Sind mir viel herber als der Todt!

Ehr nassen Zeugen meiner Noth

Geweint mein hartes Ungelücke!

Non, non ergo periit, non interiit: sed, quem periisse, quem interiisse, in undis, putamus, vivit, vivetqve æternum in cœlis, vivet idem ſemper nostris

nostris in animis, atque in memoria quoque omnium Bonorum, in sermone horum versabitur: posteaquam à nobis vel semel recessit. Recessit namque ipse: ne videret flagrantem longius, vel deflagrantem potius bellō Germaniam: ne videret longius ardente odiō ac invidiā hominum vitam: ne videret porrò juventutis proterviam, supinam negligentiam, Cyclopicam licentiam: ne videret amplius afflictæ Ecclesiæ inter tot acerrimas, quas reciprocant Theologi inter se, contentionum serras Statum: ne piorum insuper Christianorum persecutio diutius videret, legeret, audiret: ne, ne denique in omni vitiorum genere deformatum Mundum cum tædio longius cerneret. O beatam, ô fortunatam Discipuli Analyzin! O Analyzin Filii: quæ mœstissimos solidissimè soletur Parentes, soletur Cognatos: utrosque longissimè abhinc remotos atque luctu oppressos, firmissimè quæ erigat. At Vos vero cùm docentes tum discentes, quos jam junctos video, Casum hunc Scholæ nostræ Tragicum, cuius similis per quadraginta hos duos Annos, quibus in tribus Scholis, munere & Collegæ Tertiæ, & Con-Rectoris & Rectoris functus, vixi, propè septuagenario mihi (ubi lacrymæ, ubi conplorationes estis? Ieni non contigit, cuius similis non contigit ulli Consalonorum meorum, cuius similis non contigit ulli, nobiliori qui natus ac satus esset gente, Discipulo, cogitate ac plorate, συμπαθεια vestram tam mihi præsenti, quam optimis parentibus, longissime qui absunt, constaturi, comprobatur! Quid imò mecum Optimum DEUM implorate: ne omen sinat esse futurorum Malorum publ. aut penitus, quod DEUS tamen, summus Malorum omnium Averruncus, clementissime avertat, ruituræ Scholæ. Sed quò rapior Ego ab affectu? Non possum pergere: quia nova atque nova tristitia filum telæ hujus inter lacrymas mihi abrumpit, longioremque dictionem non permittit. Quod ergo unum superest, surgite mecum Juvenes: quotquot in hoc exemplum intueri ac pii esse, esse cautores, jubemini. Qui jubemini serio cogitare, utrum sit commodius, mortem ad nos transire potius, an nos ad illam, surgite, cumque pia Matre Ecclesia junctim omnes clara voce in commune solarium

æqvè ac humanorum casuum recordationem canite: Mitten wir  
im Leben sind / mit dem Todt umfangen/  
u. s. f.



F.H. 30,69.

(X 201 M 61)

Y b  
1302

CHRISTIANI FUNCCI,  
*Aug. Gymn. Gorl. Red. ac Direct.*

STUDIOS.  
ALL  
BI

PARTE PRIOR  
*lavandi an-*

PARTE POSTER  
*Commilitus decessus a-*  
CTI LAUS, in C

tumultuariâ oper  
gemitus Anno  
in Doce  
om

D. XXVII. Ju  
in NISSUM ref  
immergens, spiracu  
arenis p  
NOBILISS.

JOH. BALTH  
*Osterb*  
primogenitus  
Ætatis Ani

GORL

